

adeò ut, teste Kircherò in *de Mundo subt. l. 3. c. 2.* qui à portu *Acopulco Nov. Hisp. in ins. Philipp.* tendunt, spacio 25. dierum, immotis velis 3000. milliaria conficiant. Pro varietate verò locorum varius est, & circa partes polis viciniore haud ita sensibilibis. Alter motus Generalis maris, est æstus ille reciprocus, de quo nos jam unicè solliciti sumus.

§. III.

Fluxus & refluxus hic maris hodiernis experimentis confirmatissimus, nec Veteribus ignotus fuit, quin passim prolixam ejus faciunt mentionem, uti videre est apud Aristot. Ptolom. Stobæum, Solinum, August. Plutarch. *de placit. Philos.* Plinium &c. ut ut in ratione ejus reddenda, vel hallucinati sunt, vel admodum inter se discrepant. Romani veteres hunc æstum accedentem Veniliam appellarunt, in Salum verò redeuntem Salaciam. Cum autem in Oceanum Germanicum penetrassent, pro Venilia Maladinam dixerunt, & pro Salacia Leidunam, teste Dalekampio in notis ad Plin. *l. 2. c. 37.* Circa Onomatologiam prolixiore haud anxie laboramus, utpotè haud multum ad institutum nostrum facientem; Dummodo constet, nos intelligere accessum & recessum istum quo Oceanus in plerisq; terræ regionibus bis in die ex alto ad littora fluit, & bis vicissim refluit. Adeò ut sex fermè horis sensim crescat, sequentibus autem sex iterum subsideat, & remeet. Et ut notanter ait Plinius *l. 2. c. 37.* *Circà littora magis deprehenditur quam in alto, quoniam & in corpore, extrema pulsum venarum, id est spiritus, magis sentiunt.* Unde si adversæ fluminum ripæ elatiores sunt, æstus eas admodum intumescere facit, sin verò planiores, ad multos passus, alicubi ad plura milliaria secundum diversum situm loci se diffundit. Sic referunt Conimbricenses ad *lib. Arist. Phys. 8. c. 4.* Indos in littore Cambaia solere Cymbalorum sonitu instantem affluxum maris præsignificare, ne incauti obruantur, quandoquidem binis horis 30. circiter leucas rapidissime obtegit, totidemq; iterum recedit.

§. IV.

Hæc diurna verò maris reciprocatio ita cum lunæ motu quotidiano connexa est, ut dum Luna in quovis Horizonte oritur, regulariter simul maris incrementum incipiat, atq; sic per 6. horas continuetur, donec Luna Meridianum loci attingente summum

mum